

est tantum conditio ex parte recipientis, ergo: tum quia voluntas retinendi beneficium antea excommunicationis non inficit valorem tituli tempore excommunicationis; ergo neque voluntas acceptandi beneficium canonice oblatum tempore excommunicationis impedit valorem tituli. Ceterum, cum hic versemur in materia odiosa, nomine beneficii non veniunt hic simplices pensiones; ut si clericus excommunicato resignanti, vel lite cedenti aliqua pensio constituitur; tunc enim pensio ista valet.

30. R. 2. Clericus in excommunicationem incidens, ipso jure, & facto non privatur fructibus beneficii antea canonice obtenti: ita Sanch. Laym. Salmant. & alii contra Covar. Filliuc Garc. &c. nam id nullo clario jure statuitur, siquidem c. 53. de appellat. in verbo *subtrahuntur*, sufficienter indicatur, quod privatio fructuum facienda sit ministerio iudicis, sicut denunciatio excommunicationis: neque Papa respondet, quod privatio fructuum eodem modo incurritur, quo privatio communionis fidelium: sed quod ista sit causa sufficiens illius, quia meretur clericus fructibus privati, qui communionem fidelium privatus est: & ita consuetudo textum istum interpretatur. At post sententiam tenetur clericus fructus tempore excommunicationis perceptos restituere, donec absolvatur: si tamen pauper sit, eos sibi applicare potest; cum fructus isti distribuendi sint pauperibus, vel Ecclesie.

31. R. 3. Excommunicatio privat usu jurisdictionis ecclesiasticæ, ita ut excommunicatus vitandus eam nec licite, nec valide exerceat. *Can. 4. audivimus, 24. q. 1. c. 24. de sen. & re jud. c. 10. de off. deleg. in 6. &c.* Unde acta Prælati excommunicati non valent, si ve sint judicialia, si ve extrajudicialia, contentiosa, aut voluntaria, cum potestas ea exerceat sit impedita, 2. Non valet electio, quam suffragium excommunicati complet; vel si excommunicatus scienter admittitur ad suffragandum *c. fin. de procuratore*; nec valet presentatio, quam clericus ratione dignitatis exerceat, *arg. c. fin. de elect. in 6.* secus si ad clericum presentatio pertinet titulo seculari, ut patrimonii. Resignatio autem beneficii ab excommunicato facta absolute, vel in favorem tertii valet; cum non sit actus jurisdictionis, aut officii, sed mera voluntas; quomodo prælati excommunicati eam admittere non possunt. 3. Excommunicatus toleratus valide exerceat jurisdictionem, si exceptione excommunicationis non excludatur, c. 12. de excep. c. 1. eod. in 6. nam Ecclesia permittit communicationem cum excommunicatis, donec exceptio opponatur, & intra 8. dies probetur, *ibid.*

32. R. 4. Excommunicatio privat facultate concionandi, & publice legendi sac. theologiam, aut sac. Canones: nam ista est notabilis communicatio excommunicatis prohibita, saltem vitandis. Hoc tamen excommunicatis permittitur, ut concionem pro sua conversione audiant, c. 43. h. t.

33. Q. III. *Qua communicatione politica privet excommunicatio?* R. 1. *Communicatione forensi*, ita ut excommunicatus vitandus non possit esse iudex, aut magistratus gerens, arbiter, actor, advocatus, procurator ad lites, testis, tabellio, *Can. 6. nullus 3. q. 4.* officia tamen privata, ut tutoris, curatoris, suscipere potest, uti & assistere matrimonio, & assistendi facultatem tribuere, ad professionem religionem admittere &c. 2. Excommunicatis prohibetur communicatio politica hoc versiculo expressa: *Os, orare, vale, communitio, mensa negatur.* Os significat osculum pacis, & alia benevolentie signa. *Orare* significat orationem publicam, & etiam privatam. *Vale* honorificam salutationem: licet consuetudo admittat, ut excommunicato assurgatur, caput aperiat. *Communitio* significat omnem mutuum actionem, ut cohabitationem, colloquutionem, celebrationem cuiuscumque contractus, factionem testamenti. Quamvis vero actus isti ab excommunicato illiciti fiant contra præceptum Ecclesiæ, sunt tamen validi; cum nullo jure irritentur.

34. Q. IV. *Qui sint alii remoti effectus excommunicationis?* R. Tres præcipui: 1. Si quis per annum perseveret in excommunicatione specialiter lata ab homine, sit suspectus de hæresi, *Trid. Sess. 25. c. 3. de ref. si vero citatus se purgare, & impedimentum allegare noluerit, puniendus est, ut hæreticus c. 7. de hæres. in 6. 2. Si infordeat in excommunicatione per*

annum, habeatur pro convicto *Can. 36. & seqq. 11. q. 3.* quia contumacia ista habeatur pro confessione. 3. Clericus per triennium durans in excommunicatione, privandus est beneficiis, *cap. 8. de etat. & qualit.*

35. Q. V. *An, & in quibus casibus excommunicatus exerceat possit alius sibi prohibitus?* R. 1. In periculo mortis, multo iustius, infamie, gravis iacturæ bonorum, licet excommunicato suscipere sacramenta; imo & administrare, si a fidelibus petantur, & ille ex officio teneatur, ea administrare: nam in his casibus arduis Ecclesia non censetur obligare. Unde si excommunicatus ex urgenti necessitate accederet confessarium, qui non valens absolvere ab excommunicatione, absolveret a peccatis, ceteris positis, validum esset Sacramentum penitentiae, ut communis sententia tenet contra Sylv. Vasq. & alios: nam in tali casu arduo, maxime si concurrat ignorantia, vel obliquo probabilis censura, nullo jure constat invalidari Sacramentum penitentiae: imo nec est credibile præceptum Ecclesiæ extendi ad casus adeo arduos in materia Sacramentorum, Salmant. 2. Excommunicatus toleratus, dummodo se non ingerat, ad petitionem fidelium tenet contra Sylv. Vasq. & alios: ut aliqui sentiunt, omnia Sacramenta administrat ex favore Conc. Constantien. fidelibus concessio, ut mox dicetur.

36. Q. VI. *An fideles habeant privilegium communicandi cum excommunicatis?* R. 1. Hodie licite communicare possunt cum omnibus excommunicatis publicis, & privatis, in divinis, & politicis, exceptis duobus casibus: si excommunicatus, vel interdictus sit specialiter, & expresse, seu nominatim publice denunciatus per sententiam iudicis, vel si sit notorius percussor clericus, puta notorietate facti, dum percussio fit in loco publico, & coram magna parte communitatis, ut nulla tergiversatione celari possit: ita indultum fuit in Conc. Constantien. & roboratum per Const. Martini V. incip. *Ad evitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientiam timoratis contingere possunt &c.* Quia tamen Constitutio nullas favor ipsi excommunicatis concessit, ut hi communioni fidelium se ingerere possint, ibi: *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari: unde sequitur 1.* Quod fideles a Parocho, vel alio Sacerdote excommunicato petere possint celebrationem Missæ, & Sacramentorum administrationem, si ve adit causis necessitatis, aut speciali utilitatis, si ve non, quia Decretum Constant. indistincte loquitur: neque per hoc fidelis cooperatur peccato excommunicati; tum quia utitur jure suo; tum quia opinantur aliqui, actiones istas spirituales fieri posse sine peccato: nam hoc ipso, quod fidelibus licet communicare cum excommunicatis indirecte, & in consequentiam conceditur, ut ministeria, quæ a fidelibus petuntur, licite exercere possint. *Sequitur 2.* quod excommunicatus toleratus, non tantum alia Sacramenta, sed etiam Sacramentum penitentiae valde administrare possit, quoties id petitur a fidelibus: nam ex parte penitentis nullus adest defectus, ut supponitur; ex parte vero confessarii excommunicati non deficit iudicium, quia illam habet ex Conc. Const. pro casu, quo fidelis absolutionem ab illo petit, dummodo ante excommunicationem jurisdictionem, & approbationem ab Ordinatione habuerit, & ea specialiter privatus non fuerit. *Sequitur 3.* quod excommunicatus toleratus, si abique petitione fidelium ingerat se divinarum administrationi, peccet graviter, & exerceo actum ordinis, v. g. sacrificando, solemniter baptizando, nuptias benedicens, incurrat irregularitatem *c. fin. de cler. excom. ministr.* Et quamvis cetera Sacramenta valide, tamen Sacramentum Penitentiae invalide administrat ex defectu jurisdictionis per excommunicationem suspensæ; quo tamen casu invalide absolvens fit irregularis, quia actum ordinis exerceat, licet per accidens invalidum. *Sequitur 4.* quod fideles, si velint, libere se retrahere possint a communicatione excommunicati tolerati, ut recedendo a Missa Parochi, recusando mandatum Prælati, excipiendo contra iudicem, actorem &c. nisi aliud habeat consuetudo, aut pacta publica; sicut in Germania, ubi hæretici nequeunt excludi ab officiis publicis, iudiciis &c. nam per Decretum Constant. nullus favor excommunicatis directe est attributus. *Dices:* Concil.

Basil.

Basilense Sess. 20. modificavit decretum Concilii Const. declarando quoscumque notorios excommunicatos esse vitandos. R. Cum Avila decretum Concilii Basil. loqui de illis, de quibus Decr. Conc. Const. puta de notoriis percussoribus clericis: vel cum Turrecrem. decretum istud nullius esse auctoritatis, cum factum sit post Schismata Concilii, ubi omnia acta reprobata sunt ab Eugenio IV. & Nicolao V.

37. R. 2. Fideles tenentur vitare communionem cum excommunicatis vitandis, seu non toleratis: quales sunt personaliter denunciati, & notorii percussores clericorum; ita commun. ex citat. Decr. Concil. Constant. quo jus antiquum c. 14. h. t. in hoc puncto non est correctum. Ita tamen communicatio regulariter non excedit peccatum veniale, & excommunicationem minorem, c. 29. h. t. At mortale est in casibus seqq. 1. Si fidelis publice communicet in rebus divinis; quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi. 2. Si communicet in crimine criminoso, hoc est, in illo crimine, ob quod alter excommunicatus est, *cap. 55. h. t.* ut si clericus communicet in crimine concubinae personaliter excommunicatae &c. quo casu major excommunicatio incurritur. Si quis a Papa excommunicatus est, clericus cum eo sponte in divinis communicans, præter peccatum mortale, incurrit majorem excommunicationem Papæ reservatam, c. 18. h. t. 4. Si quis post competentem monitionem participet cum excommunicato, postquam lata est sententia contra participantes nominatim expressos incurrit majorem excommunicationem, c. 9. & 13. h. t. in 6.

38. R. 3. Fidelibus suadentibus iustis causis, communicare possunt cum excommunicato vitando, que hoc versiculo exprimitur: *mitis, lex, humilis, res ignorata, necesse*: licet proinde ista communicatio: 1. Ex causa utilitatis tam spiritualis, quam corporalis, ut dare excommunicato salutaria monita, elemosynam, recipere debitum &c. Ex causa legis, seu obligationis matrimonialis c. 31. h. t. atque ita uxor marito excommunicato possit communicare in cohabitatione, mensa, debito conjugali, *Can. 103. quoniam 11. q. 3.* qui Canon ob identitatem rationis in correlativis intelligitur etiam de marito, ut uxori excommunicatae cohabitare, & communicare possit. 3. Ex causa humilitatis, seu subjectionis, & potestatis, sicut filius cum patre, servus cum domino, clericus cum Episcopo, miles cum duce, & e contra, communicare valent: non tamen vasallus cum domino, cui proprie non servit. 4. Ex causa ignorantie, si ve facti, si ve facti, modo non sit affectata. 5. Ex causa necessitatis si ve spiritualis, si ve temporalis, *cit. Can. quoniam*: unde in casu necessitatis potest fidelis ab excommunicato petere baptismum; quem tamen sine solemnitate administrare debet: item Sacramentum penitentiae, & si infirmus confiteri nequeat. Eucharistiam; vel si hac refici non possit, extremam unctionem. Quo casu ad petitionem fidelis excommunicatus licite administrat ista Sacramenta, dummodo ex alia causa non impediatur, ut est opinio.

39. Q. VII. *Quid juris circa excommunicationem minorem?* R. 1. Hæc incurritur ob solam communicationem cum excommunicato vitando, ut ante n. 36. dictum, ejusque effectus directus est privatio usus passivi, seu receptionis Sacramentorum, c. 59. h. t. 2. de excep. activa vero administratio Sacramentorum non est prohibita. Indirectus vero effectus est inhabilitas ad beneficia *cap. fin. de cler. excom.* adeoque clericus minori excommunicatione irretitus non potest eligi: electio tamen ejus non videtur irrita ipso jure, cum *cit. c. fin.* dicatur irritanda. 2. Ab excommunicatione minori probabiliter absolvere potest quilibet sacerdos, qui absolvere potest a peccato participations: adeoque si excommunicatio minor incurta est ob veniale peccatum, quisque sacerdos ab ea absolvere potest: ita S. D. in 4. d. 18. q. 2. a. 1. q. 1. in corpore, inquit: *quæ minor excommunicatione quilibet potest absolvere, quæ potest absolvere a peccato participations*: nam absolutio a censuris, tanquam prævia, sequitur naturam absolutionis a peccatis; & ideo cui conceditur facultas absolvendi a peccatis mortalibus, conceditur etiam facultas absolvendi a censuris non reservatis; & concessa facultate absolvendi a reservatis, conceditur etiam facultas absolvendi a censuris reservatis

propter ista peccata incurtus; ergo etiam qui conceditur facultas absolvendi a venialibus, conceditur quoque facultas absolvendi a minore excommunicatione: unde in c. 29. h. t. nomine *proprii sacerdotis* venit is, qui absolvere potest a peccatis.

Et hæc de excommunicatione in genere. Nunc, omittis aliis excommunicationibus in specie, de quibus suis titulis egimus, superest aliquid dicere de excommunicatione Canonis.

40. Q. VIII. *Quæ specialia habeat excommunicatio Canonis 29. si quis 17. q. 4. Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrit, ut in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum presumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

R. 1. Privilegio Canonis hujus gaudent omnes, qui in materia favorabili veniunt nomine clericorum, etiam tertiariorum, & eremitæ, emissio voto sub regula, & obedientia superioris viventis. E contra privantur hoc privilegio clerici degradati, bigami, conjugati non descentes habitum, & tonsuram, minoribus, qui dimisso habitu, armis, & negotiis secularibus vacant, & post trinam monitionem non respiciunt, clerici joculariores, macellarii, vel cauponarii personaliter excentes, vel dimisso habitu enormitatis se immiscuentes, de quibus suis locis dictum ex c. 2. de par. in 6. c. un. de bigam. in 6. c. un. de cler. conjug. in 6. c. un. de vita, & honest. in 6. & Clem. un. eod. c. 25. & 43. h. t. &c.

41. R. 2. Excommunicationem Canonis incurere possunt omnes doli capaces, etiam pueri, & mulieres c. 6. & fin. h. t. qui violentas manus injiciunt in clericum, vel in res ejus persone propinque adherentes; ut illum percutiendo, injuriose conspuendo, pulverem in eum projiciendo, venenum ei porrigendo, vestimenta in eo lacerando, caudam, vel ephippium equi, eum infidet, præcedendo &c. modo actiones istæ exerceantur suadente diabolo, hoc est, animo injuriandi, & inhonorandi clericum. Hæc excommunicatione tenentur mandantes, & consulentes, mandato; aut consilio efficaciter non revocato c. 6. in fin. & c. 47. h. t. ut & ratam habentes percussorem nomine suo factam c. 23. eod. in 6.

42. R. 3. Ab excommunicatione Canonis excusantur: 1. Qui ex iusto mandato Prælati clericum criminolosum capiunt, incarcerationem, vel torquent, c. 35. h. t. At si Prælati injuste, & contra formam juris clericum capiunt, incarcerationem, vel torqueant, vel eum carceri nimis squalido, indecenti, subterraneo, & obscuro includat, ipse cum omnibus cooperantibus incurrit excommunicationem hujus Canonis, ut com. docet ex *cit. c. 35. h. t. & Trid. Sess. 25. c. 6. de reform. ubi pro carcere clericorum, & religiosorum vult esse locum decentem*. 2. Clerici pueri inter se fixantes excusantur ab excommunicatione Papæ reservata, ita ut absolvi possint a proprio Episcopo c. 1. h. t. 3. Officiales publici, qui clericum de nocte vagantem, & malum facere meditantem capiunt, ut eum Prælati presentent. 4. Qui ex ignorantia facti, vel etiam juris, vel defensionis causa clericum percussit. 5. Qui volens percutere clericum aberrando percussit laicum, vel præter opinionem alium clericum: secus si injuriose percussit Titium clericum, quem cogitavit esse Cajum. 6. Qui percussit in continentem clericum turpe agentem cum uxore, matre, filia, forore, licet actus turpes sint in sua specie imperfecti: quo casu percussor peccat quidem graviter, sed ob causam iusti doloris non puniatur excommunicatione, etiam in casu, quo invigilavit tali clerico, c. 3. v. nec illa h. t. 7. Magister etiam laicus correctionis causa percussit clericum discipulum, ut *cit. de cler. percussor*. quod etiam permittitur senioribus canonicis, ut pueros minoribus divina officia turbantes moderate percuteat possint: uti & parentibus, ac propinquis discipline causa percussentibus, c. 54. in fin. h. t. quæ dispositio non videtur extendenda ad percussorem in factis constitutionum, nisi castigans sit Prælati, aut magister, c. 10. hoc versul.

43. R. 4. Absolvere ab excommunicatione Canonis de jure com. potest solus Papa, ut patet ex *cit. Can. si quis*.



si quis. Ex speciali concessione etiam alii, ut *Legatus a latere*, & Nuntius apostolicus, ut dixi *in de off. legati*. 2. Episcopi, & eorumque Vicarii ab hac excommunicatione occulta, & in casu impedimenti absolvere possunt secundum dicta hic n. 24. item ob percussione levem c. 17. h. t. Quae autem sit percussio *levis, gravis, & atrocis, seu enormis*, pendet a circumstantiis, & arbitrio iudicis. 3. Praelati regni, pro utroque foro suos religiosos absolvere possunt sine missione ad Sedem apostolicam, vel Legatum a latere, c. 2. h. t. & si percussus sit religiosus alterius Ordinis, absolutio pertinet ad Praelatum percussoris: satisfactio vero utriusque Praelati consensu imponenda c. 32. h. t. Si vero clericus secularis graviter percussus sit, vel in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta, absolutio pertinet ad Papam, *ibid.* Si levis fuit percussio, absolvit Episcopus religiosum non exemptum; imo & exemptum de consensu Praelati c. 21. *ead. in 6.* alioquin si Praelatus ex justa causa neget hanc absolutioem exempti, absolutio pertinet ad Papam. Hodie Praelati regni, ex specialibus privilegiis suos religiosos absolvere possunt a percussione etiam enormi, dummodo Episcopus, aut clericus secularis non sit graviter percussus.

44. R. Confessarii regni, in privilegiis communicantes in foro conscientiae absolvere possunt a percussione quacumque etiam enormi; dummodo sit occulta: & quidem sine onere presentandi se conspectui apostolico: nam c. 13. & 18. h. t. statuit onus istud imponi ab iis, qui non habent privilegium absolvendi, sed tantum in casu impedimenti absolvent. Nec obstat, quod in hac inchoata Dicecesi Moravia percussio clericis sit casus reservatus: nam reservatio ista procedit de percussione notoria notorietae facti, non de percussione occulta, quam respectu Regularium privilegiorum Episcopus sua auctoritate reservare nec vult, nec potest; cum tanquam inferior limitare non possit privilegia apostolica.

## §. III.

## De Censura Suspensionis.

45. *Suspensio* est censura ecclesiastica privans clericum per se, & directe usu officii, beneficii, vel utriusque simul. Differt ab *excommunicatione*, quia haec privat omnibus bonis spiritualibus, & politicis externis: fertur in clericos, & laicos; & non per se, sed consecutive privat usu ordinum, in quantum impedit Sacramentorum administrationem; e contra *suspensio* non privat omnibus bonis; fertur in solos clericos, & directe impedit usum ordinum: licet ipso ordine suscipiendo non privet, nisi consecutive. Differt etiam ab *interdicto*, quia hoc privat receptione aliquorum Sacramentorum, divinis officiis, & sepultura ecclesiastica; & in laicos ferri potest: secus est in suspensione. Est autem *suspensio* alia *parialis*, quae privat usu ordinis tantum, vel officii, seu jurisdictionis, vel beneficii, seu administrationis quo ad fructus: alia *totalis*, quae his omnibus privat. Item alia a *jure*, alia ab *homine* lata, alia *absoluta* sine determinatione temporis, alia *restricta* ad certum tempus, alia per modum *vere censurae*, alia per modum *poenae vindicativae*, aut inhabilitatis, sicut c. 14. de temporib. ord. c. 1. de ordinat. ab Episcop. &c.

46. *Quis, & in quem ferri possit censura suspensionis?* R. 1. Solus clericus, & in solum clericum Ecclesiae subditum ferri suspensionem potest: & quidem suspensionem *juris*, qui jus potest condere: suspensionem *hominis*, qui clericum iudicare, & contumacem punire potest. Dicitur *subditum*, quia Papa nullius censuræ est capax. 2. Episcopus sine consensu capituli suspensionem hominis, seu sententiam judicialiter suspensionem ferri potest; nam talis viget consuetudo, qua abrogatur c. 1. de excessib. Praelat. & can. 6. Episcopus 15. q. 3. Praelati regulares in tantum suspendere possunt suos religiosos, in quantum eis regula permittit.

47. *Qua forma feratur suspensio ab homine?* R. 1. Adesse debet culpa gravis, & simul contumacia, praevia monitio triplex, & ipsa sententia suspensionis in scriptis concipi cum expresse causa, sicut

de excommunicatione dictum ex c. 1. §. 13. h. t. in 6. alioquin si haec forma, licet accidentaliter non observetur, iudex per mensuram ab ingressu Ecclesiae, & divinis officiis suspenditur, & ad expensas suspensio condemnatur, c. 1. h. t. in 6. 2. Si suspensio fertur per modum poenae vindicativae, praeter delictum grave, non requiritur contumacia, & monitio, sed probato delicto, suspensio per sententiam infligitur, sicut alia poena vindicativa, c. 7. & 44. de elect. c. 2. de off. deleg. in 6. & alibi.

48. *Qui sint effectus suspensionis?* R. 1. Pro varietate hujus censuræ sunt varii: 1. *Suspensio ab ordine* non censetur suspensio a jurisdictione, & suspensio ab ordine inferiori exercere potest actus ordinis superioris; nisi in his concurrat actus ordinis inferioris: qualiter suspensio a diaconatu; non potest missam legere, quia in ea concurrit actus ordinis diaconalis, scilicet legere Evangelium: ceteros vero actus Sacerdotii exercere potest, ut praedicare, absolvere &c. 2. *Suspensio ab officio simpliciter*, censetur suspensio ab omni actu ordinis; & jurisdictionis: quia hoc utrumque venit nomine officii: non tamen est suspensio a beneficio, seu perceptione fructuum, neque a voce activa in capitulo: cum haec suspensiones sint diversa, & suffragari in capitulo nec sit actus ordinis, nec jurisdictionis: licet aliqui contrarium teneant. 3. *Suspensio a jurisdictione sola*, non est suspensio ab ordine, & beneficio; cum haec sint diversa. 4. *Suspensio a beneficio* exercere potest officium; neque beneficium, sed tantum fructibus privatur: quorum nomine non veniant distributiones quotidianae, neque electio, quae praesentatio, quae ex officio oriuntur, licet dicantur improprie fructus beneficii. Porro si suspensio a beneficio est censurata ob contumaciam, beneficiarius privatur fructibus etiam necessariis ad sustentationem: non vero si est poena vindicativa; quia illam, & non istam tollere est in potestate suspensi.

49. R. 2. *Violans suspensionem*, praeter peccatum mortale, incurrit irregularitatem, exercendo actum ordinis, c. 1. in fin. h. t. in 6. Haec tamen irregularitas non incurritur, si clericus violat suspensionem jurisdictionis, vel beneficii; sed tunc aliter puniendus est, ut privatione beneficii, c. 1. §. fin. de elect. in 6. Porro suspensio a jurisdictione, invalide illam exercet; dummodo sit denunciatus personaliter, secundum Decretum Conc. Constantiensis.

50. *Quomodo tolli possit suspensio?* R. 1. Si suspensio est censura, tollitur per absolutionem iis modis, quibus excommunicatio. Formula absolvendi est: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem, vel talem causam &c.* in dubio datur absolutio ad cautelam: *si tenebis vinculo suspensionis, absolvo te.* 2. Si suspensio est poena vindicativa delicti, non tollitur nisi per relaxationem, seu dispensationem ejus, qui eam tulit, aut qui eadem potestate poller; nisi ad certum tempus lata fuisset: tunc enim, eo lapsa, ex voluntate ferentis expirat. 3. Si suspensio a jure lata est absque temporis determinatione, poterit ab Episcopo relaxari: nam talis suspensio non censetur esse poena perpetua, ut existimant Abb. Sylv. Nav. &c. nam poenae perpetuae addi solet clausula *in perpetuum*, quae alias superfluaerit; ergo censetur esse temporalis; & si reservata non est, tolli potest per Episcopum, vel alium privilegiatum: qualiter pro tollendis oculis suspensionibus plerique Regulares privilegiati sunt, sicut Episcopus vi Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. Alii vero Sacerdotes non privilegiati, non possunt absolvere a tali censura in poenam delicti lata; cum absolutio illius non sit necessaria ad absolutionem a peccatis, sicut absolutio ab excommunicatione, quae praecedere debet absolutionem a peccatis.

## §. IV.

## De Censura Interdicti.

51. *Interdictum in h. t. est censura ecclesiastica privans usum divinarum inter fideles*, puta participatione divinarum officiorum, quorundam Sacramentorum & facta sepultura. Differt ab excommunicatione; quia haec privat pluribus bonis spiritualibus, & politicis, solumque hominis fideles afficit: e contra interdictum pri-

privat paucioribus bonis spiritualibus, nullis politicis; & loca etiam facta afficere potest. Differentia interdicti a suspensione prioris §. infinita est. Dividitur interdictum: 1. In *personale*, quod directe afficit personam, ne divinis usi valeat: *locale*, quod directe afficit locum, ne eo divina celebrari possint: & *mixtum*, quod & personas, & loca afficit, & privat divinis. 2. In *generale*, & *speciale*. *Generale locale* est, quo plura loca simul afficiuntur, ut totum regnum, civitas, parochia. *Generale personale*, quo tota communitas hominum afficitur; ut omnes incolae regni, civitatis, monasterii. *Speciale personale* est, quo una, vel altera persona singularis afficitur etiam indeterminata, v. g. qui furtum commiserit, subjacet interdicto. *Speciale locale* est, quo unus locus determinatus afficitur; ut haec Ecclesia. 3. *Personale*, vel est *totale*, quoad omnes effectus interdicti, vel *parviale*, quoad unum, vel alterum effectum; ut si quis interdicatur ab ingressu Ecclesiae, vel a celebratione Missae &c.

52. *Qui ferri possint Interdictum?* R. Qui excommunicare, aut suspendere, seu qui habent jurisdictionem in foro externo, ut Papa, Episcopus etiam sine consensu capituli de hodierna consuetudine, Legati apostolici, capitulum, sede vacante &c. Praelati regulares personas quidem interdicere possunt; sed non loca ob receptam consuetudinem.

53. *Quomodo ex qua causa, & qua forma feratur Interdictum?* R. 1. Subiectum interdicti personalem est homo fidelis, vel aliqua communitas: & interdicti localis est locus sacri jurisdictioni interdicti subiectus. 2. Causa illud ferendi est culpa mortalis cum contumacia: & quamvis personale speciale ferri possit ob debitum personam, non tamen ob debita pecuniaria ferri potest interdictum generale, sive locale, sive personale absque consensu Papae: imo nec locale speciale, *Extrav. 2. h. t. int. com.* confirmata a Clem. VII. *Constit. Licet ca. 9. Kal. Jun. 1530.* 3. Forma ordinaria, qua fertur interdictum sub ratione censurae est, ut praecedat monitio competens, & sententia interdicti concipiatur in scriptis, ut dictum n. 17. Si vero interdictum personale speciale feratur sub ratione poenae vindicativae, non requiritur ista solemnitas, sed sufficit ordinaria, & consueta in iudicio criminali. Interdicta generalia, praeterim localia non solent ferri sub ratione poenae vindicativae, sed censuræ; quia gravia sunt, & multis bonis spiritualibus privant.

54. *Qui sint effectus Interdicti?* R. 1. Quatuor praecipui: 1. *Privatio activi*, & passivi usus sacramentorum, c. 43. h. t. c. 16. *ead. in 6.* 2. *Privatio activi* usus divinarum officiorum, c. 57. h. t. 3. *Privatio activae, & passivae sepulturae factae*, c. 11. de panib. & remiss. c. 3. §. *quodsi de privat.* 4. *Privatio ab ingressu Ecclesiae*, cap. 20. h. t. in 6. *Effectus iste non sequitur ex natura interdicti, nisi specialiter exprimat.*

55. R. 2. *Tempore interdicti conferri potest*: 1. *Sacramentum baptismi, & confirmationis*, etiam solemniter pro adultis c. 19. h. t. in 6. 2. *Sacramentum Penitentiae* non solum moribundis, sed quibuscumque; dummodo penitentes non dederint causam interdicti: alioquin prius satisfaccere debent, vel de satisfacciendo cautionem praestare idoneam; saltem juratorem c. 24. *alma mater h. t. in 6.* Quibus iuribus ampliatur iura antiquiora, quae tempora interdicti concedebant baptismum tantum pro parvulis, & penitentiam pro moribundis, cap. 11. de sponsalibus cap. 11. de panib. Dari autem potest absolutio generaliter interdicti: si vero daretur a specialiter interdicto, valetet, cum interdicto jurisdictionem non tollat. 3. *Eucharistia, extrema Unctio, & Ordo* regulariter administrari non possunt tempore interdicti *curat. cap. alma*. Eucharistia tamen in articulo mortis infirmis, praegnantibus, & praebantibus conferri potest, *ibid.* item in loco non interdicto ordinari possunt personae generaliter interdictae *arg. cap. 43. h. t.* 4. *Personae* generaliter interdictae contrahere possunt matrimonium, etiam in loco interdicto, ut probabilis tenent Abb. Covar. & alii contra Suar. Bonac. nam matrimonium, quod principaliter est contractus, neque a clericis ministratur, licet expresse non excipiatur, tamen ex notoria consuetudine nunquam censetur comprehendi sub iuribus, quae tempore interdicti prohibent ministratorem *P. Remigii a S. Erasmo. Pars II.*

cramentorum; ergo sicut alii contractus, ita & matrimonium celebrari valet tempore interdicti etiam in loco interdicto. Si vero personae sunt specialiter interdictae, per accidens ratione censurae, & contumaciae, quae obicem ponit gratiae, licite non contrahunt matrimonium. At benedictio nuptiarum prohibita est tempore interdicti, Navar. & alii contra Rosell. nam benedictio ista fieri debet a sacerdote; ergo est prohibita, ut mox dicitur, cum per se non sit necessaria ad nuptias; sicut confessio christiatis ad confirmationem.

56. R. 3. *Nomine divinarum officiorum*, quae tempore interdicti exerceri prohibentur, veniunt ea omnia, quae a clericis ex institutione Christi, aut Ecclesiae fieri solent; ut missa, benedictio olei, fontis baptismalis, ramorum, cereorum, nuptiarum, Ecclesiarum, vasorum, & paramentorum ecclesiasticorum &c. solemnium, & publica recitatio horarum canon. officii B. V. psalmodium, litaniae &c. E contra licite vivit, concio ad populum instruendum, benedictio mensae, privata adoratio Crucis die veneris sacro; modo omittantur caeremoniae a clericis usitatae, privata recitatio breviarii: imo per cap. 11. de panib. Clerici bini, vel terii legere possunt horas canon. in Ecclesia, non tamen cantare.

57. R. 4. *Stante interdicto locali generali*, nullus laicus etiam infans sepeliri potest in loco facti c. 11. de panib. nam licet mortuus non ligetur interdicto, ligantur tamen viventes, ne ei sepulcrum sacrum concedant, donec cesserit interdictum; & tunc cadavera fidelium e loco profano exhaurienda, & in sacro sepelienda sunt. 2. *Interdicti personaliter*, sive generaliter, sive specialiter, modo sint publice denunciati, etiam clerici, vel si interdicti causam dederint, privantur sepultura sacra, c. 8. de priv. in 6. *Clem. 1. de sepul.*

58. R. 5. *Interdictus ab ingressu Ecclesiae non potest Ecclesiam ingredi formaliter, & cum effectu*; ut ibi divina celebret, vel audiat, vel sepeliatur in loco facti c. 20. h. t. in 6. quo sensu procedit *Can. 15. latorem 33. q. 2.* ubi matricida privat oratione in templo, scilicet publica, & quando divina celebrantur. Violator hujus interdicti per exercitium ordinis sit irregularis, sicut violans suspensionem *cl. c. 20.* E contra interdictus potest privatim Ecclesiam ingredi, ibi preces fundere, item missam in oratorio privato auctoritate Episcopi non crecto, vel in ipso caemeterio celebrare, vel audire; modo non sit specialiter interdictus: & probabilis in ipsa Ecclesia sacramenta percipere, cum receptio sacramentorum non reperitur prohibita in c. 48. h. t. c. 20. *ead. in 6.* nisi per accidens pro eo tempore, quo divina in Ecclesia celebrantur.

59. *Quid ratione privilegii liceat tempore interdicti?* R. 1. *Ex privilegio c. alma 24. h. t. in 6.* licet divina officia celebrare in Natali Domini, in Pascha, Pentecoste, Assumptione B. V. & per Conf. Martini V. *Ineffabile*, Eugenii IV. *Excellentissimum* in festo Corporis Christi per totam octavam; quibus diebus etiam fideles, specialiter non interdicti, & qui interdicto causam non dederunt, Eucharistia refici possunt: cum concedatur non praesente assistere, sed *participare*. Hoc privilegium non videtur extendi ad sepulcrum sacrum pro iisdem diebus; quia privatio factae sepulturae est effectus longe alius a privatione div. officiorum; ergo dispensatis div. officiis, non censetur dispensari sepultura sacra.

60. R. 2. *Ex privilegio ejusdem c. alma mater*, tempore interdicti generalis, sive localis, sive personalis in quibuscumque Ecclesiis, & monasteriis missae, & alia divina officia singulis diebus petagi possunt, servatis conditionibus ibi praescriptis; ut missa fiat submissa voce, jantus clausis, non perforatis, sine pulsu campanarum, etiam minoris campanulae ad *Sanctus*, exclusis excommunicatis, & specialiter interdictis, praesentibus solis clericis, hoc est, personis ecclesiasticis utriusque sexus, non vero laicis; cum textus loquatur de solis clericis. At in Ecclesia specialiter interdicta tantum semel in hebdomada missa celebrari potest pro conficiendo Viatico secundum jus antiquum, cap. 47. h. t. non vero singulis diebus *arg. c. 25. de privat.* ubi privilegium singulis diebus celebrandi conceditur Episcopis pro tempore interdicti localis, generalis, & ab Episcopis extenditur ad clericos per *cl. capit. alma*: R. ergo



ergo hoc privilegium non habet locum in interdicio locali speciali.

61. R. 3. Ex priv. c. 11. quod in re, de panit. & remiss. Clerici, seu ecclesiastici utriusque sexus, qui interdictioni servaverunt, & causam ei non dederunt, nec specialiter sunt interdicti, sine pulsu campanarum, cessantibus omnibus solemnitatibus, sepeliuntur in cœmeterio Ecclesie, seu loco sacro, aut crypta sepulture fidelium destinata. Quamvis autem Sayr. Suar. & alii dicant quoscumque clericos sepeliri posse in Ecclesia specialiter interdicta; alii tamen id asserunt de clericis ejusdem Ecclesie; cum alii sepeliri possint in Ecclesiis specialiter non interdictis.

62. R. 4. Regulares ex privil. antiquo, cujus meminit c. 11. de panit. tempore generalis interdicti possunt jannis clausis, excommunicatis, & interdictis excludi, non pulsatis campanis, suppressa voce celebrare divina; non tamen laicos admittit, etiam familiares alicujus conventus, seu collegii c. 11. de privi. Dicunt tamen Salmatic. r. 10. de conf. c. 6. punct. 5. num. 66. Alexandrum IV. & Eugen. IV. concessisse, ut admitti possint famuli, operarii, aconomi, syndici, procuratores, tertiarii, & beati: & Clem. VII. id concessit pro Confratribus Ordinis S. Marie de Monte Carmelo utriusque sexus; modo non sint excommunicati, aut specialiter interdicti. An vero Regulares suspendere possint interdictionem in festivitibus suorum Sanctuorum, Circumcisionis, Epiphaniæ, in 4. principalibus B. Virg. Apostolorum, SS. Trinitatis, S. Joan. Bapt. omnium Sancto- rum in die defunctorum, & dum Regularis professionem, aut primam missam facit, pro ut eis conceditur in Bulla Leonis X. 34. & 38. apud Rodriq. in Bullar. merito dubitatur. Negat cum aliis Anton. a Spir. Sancti. hoc privilegium revocatum fuisse a Trid. cum ei non contradicatur, sed Navar. Garcias, & alii dicunt esse revocatum a Trident. ut fertur declarasse S. Congregatio. 2. Regulares in privilegiis communicantes tempore interdicti possunt recipere S. Eucharistiam, & extremam unctionem, & mortuos sepelire in suis cryptis, ut passim videre est in Compend. Privil. Minor. & Societ. Jesu v. interdictum.

63. Q. V. Ad que loca, aut personas se extendant interdictiones generalia localia, & personalia? R. 1. Pro interdictione locali sequentes tradi regulas: 1. Interdicta terra domini, censentur interdicta omnia loca, pleno, & absoluto dominio ei subiecta, etsi vendantur; quia cum interdicto transeunt: non tamen illa loca, in quibus dominus tantum jurisdictionem habet, vel usum fructum, emphyteusim, aut feudum, nisi aliud exprimat. 2. Interdicta diocesi, aut civitate episcopali, etiam censentur interdicta Ecclesia cathedralis, c. 17. h. 2. in 6. ne vis interdicti generalis eludatur: unde non est hic locus argumenti ex cap. 4. de prob. in 6. pe. tito. 3. Interdicta Ecclesia principali, etiam interdiciuntur capelle illius, & cœmeterium, tanquam quid accessorium est. cap. 17. sed interdicto cœmeterio, vel capella, non censentur ecclesia principalis interdicta. 4. Interdicta civitate, etiam interdiciuntur suburbia, & ædificia continentia, seu non procul distantia, etiam si sint alterius diocesis, & jurisdictionis, cit. c. 17. quod speciale est contra c. fin. de Conf. in 6. & reg. odia in 6. ne vis interdicti eludatur, cum incolæ civitatis facile ad vicina loca egredi, & ibi divina audire possent. 5. Interdicta generalia localia tenentur observare seculares, & Regulares etiam exempti, incolæ, & exteri c. 4. 10. de privi. in 6. Trid. sess. 25. cap. 12. de regg. & qui interdicto causam dederunt, semper, & ubique censentur personaliter interdicti, ut in loco etiam non interdicto divinis operari, vel interesse nequeant c. 16. h. 2. in 6. illi vero, qui interdicto generali locali causam non dederunt, alibi divinis interesse valent. Hinc interdictionem localem respectu ejus, qui ei causam dedit, vocari solet deambulatorium, quia sequitur personam ad quæcumque loca venientem.

64. R. 2. Pro interdictione personali generali has tradi regulas: 1. Interdicta universitate, v. g. civitate, collegio, monasterio, censentur interdicta omnia membra, seu omnes illius persone, etiam absentes, vel in suburbis habitantes aut post interdictionem incorporatæ, etiam Duces, Marchiones, & alii Domini, nisi diversa jurisdictionis essent, aut speciali privilegio exempti, cap. 16. h. 2. in 6. non tamen exteri, & peregrini,

ut mercatores, studiosi, quia proprie non sunt pars populi: & probabilius nec illi, qui duplex domicilium habent, cum non sit ratio, cur potius sint pars populi interdicti, quam non interdicti. 2. Interdictio clero, non censetur populus interdictus, nec e contra, nec Ecclesie, aut loca sacra cap. 16. h. 2. in 6. adeoque alii clerici populi divina facere possunt. Neque sub interdicto cleri venit Episcopus, nisi exprimat, cap. 4. h. 2. in 6. neque Regulares, qui in odiosis non veniunt nomine clericorum: secus interdictionem laicam est in personas ecclesiasticas; quia Regulares sunt proprie persone ecclesiasticæ.

65. Q. VI. Que sit obligatio servandi interdictionem, & pena illud violantium? R. 1. Obligatio ista per se est gravis sub mortali, nisi parvitas materie excuset; ut si quis per unum versiculum divinis officiis interfuset. Hi tamen, qui censentur non sunt, non tenentur vitare personaliter interdictionem, nisi interdictionem publice denunciatam sit juxta decret. Conc. Const. Ad evitanda.

66. R. 2. Si laici violent interdictionem, pena est arbitraria, exceptis casibus Clem. h. 2. expressis, si compellant clericos in loco interdicto celebrare, si ad audienda divina aliquos convocent, præsertim excommunicatos, aut interdictos, si prohibeant excommunicatos, aut interdictos, monitos a celebrantibus exire, si ipsi excommunicati, aut interdicti moniti exire, remanere præsumant: tunc enim excommunicationem late sententiæ Papæ reservatam incurrunt per cit. Clem.

67. R. 3. Clericus violans interdictionem personalem, sive generale, sive speciale, per exercitium ordinis, vel scienter celebrans in loco interdicto, sit irregularis: & si hoc interdictum durante decedat, privatur sacra sepultura c. 18. & 20. h. 2. in 6. At si clericus non interdictus celebret in loco non interdicto, & admittat interdictos, tantum incurrit censuram interdicti ab ingressu Ecclesie, donec satisfaciat ei; cujus censuram contempserit c. 8. de privi. in 6. 2. Clericus violator interdictionis localis privatur voce activa, & passiva cit. c. 18. in fin. & per sententiam suspendi debet ab officio, & beneficio c. fin. de excess. prælat. non tamen privari officio, & beneficio: nam privatio ista, de qua loquitur prior pars decretalis, procedit in casu speciali, quo Episcopus tulit sententiam notorie injustam, & alios compulsi ad violationem interdicti apostolici. 3. Sepeliens aliquem non privilegium in loco interdicto, vel interdictionem denunciatum in loco non interdicto, incurrit excommunicationem ipso facto, a qua non est absolvens, donec ad arbitrium discreti satisfaciatur, Clem. 1. de sepult.

68. Q. VII. Quomodo tollatur interdictionem? R. 1. Si latum est absolute per sententiam, relaxari potest per absolutionem, vel dispensationem ejus, qui illud tulit, aut similem potestatem habet; si vero latum est pro tempore determinato, vel sub conditione, his eventibus, cessat absque ulla nova absolutione. 2. Interdictionem localem, sive generale, sive speciale, & interdictionem generale personalem non potest relaxari, nisi ab habente jurisdictionem in talem locum, aut populum; non vero a Regularibus: nam hi relaxant censuras in foro conscientie; locus autem, & communitas populi non subijtur tali foro. 3. Interdictionem personalem speciale a jure reservatum relaxari potest a reservante Papa, ab Episcopo, & Regularibus privilegiatis in foro conscientie. At si reservatum non sit, relaxari potest a proprio sacerdote, sicut de excommunicatione dictum ex cap. 29. h. 2. ubi cetera huc accommodari possunt.

69. Q. VIII. Quid veniat nomine excommunicationis, suspensionis & interdicti, si absolute præferantur? R. 1. Nominis excommunicationis venit major, separans a communione fidelium cap. 59. h. 2. 2. Similiter suspensio, & interdictionem absolute lata, supponunt pro majori, & proprie tali arg. c. 59. nam jus non meminit alicujus minoris suspensionis, & interdicti, quæ ob leve peccatum contrahantur.

S. V.

De Cessatione a Divinis.

70. Cessatio a divinis, interdictioni affinis, est prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis, & sepultura sacra in aliquo loco. Ali-

Aliter vocatur suspensio organorum, seu divina laudis. Differt ab interdictione: nam interdictionem est censura, ferri potest ab homine, vel jure, ejusque violator per exercitium ordinis fit irregularis: e contra cessatio a divinis non est censura, sed mera negatio divinarum officiorum, ejus violator non fit irregularis; nec illa fertur ab jure, sed semper ab homine in signum doloris, & tristitiæ conceptæ ob gravissimam injuriam Ecclesie, aut honori divino illatam, ejusque reparationem.

71. Q. I. Quis, & ob quam causam indicere possit cessationem a divinis? R. 1. Papa, Episcopus, & capitulum, Sede vacante, vel alius superior habens jurisdictionem externam, potest indicere cessationem ob aliquod gravissimum delictum notorium notorietate facti cum scandalo, servata debita forma, ut prius monearur delinquens de satisfatione prestanda, tum ei reneunt instrumentum cessationis cum causæ expressione tradatur: secus cessatio est invalida, & eam indicens tenetur reparare omnia damna inde consequentia, sive parti læsæ, sive ministris Ecclesie: ita Bonif. VIII. cap. 8. de off. ordinari. in 6. 2. Si capitulum seculari, aut regulate, etiam sede plena, vult indicere cessationem, id fieri debet capitulariter, vocatis omnibus, sicut ad negotium electionis: secus decretum cessationis, sicut electionis, est invalidum, ibid.

72. Q. II. Qui sint effectus cessationis a divinis? R. 1. Tres præcipui: privatio div. officiorum, sacramentorum, & sepulture sacre, quos effectus Papa inferior restringere nequit, cap. 11. de sponsalib. excepta sepultura sacra: nam hæc non venit nomine divinarum officiorum, adeoque non continetur sub cessatione, nisi ei annexum sit interdictionem; & ideo cit. cap. 11. nulla mentio fit sepulture.

73. R. 2. Cessatione valide indicæta, non possunt a clericis celebrari missæ, & alia div. officia, etiam eodem modo, quo conceditur tempore interdicti per c. Alma h. 2. in 6. ita com. nam interdictionem, & cessatio sunt diversa, a quibus non fit illatio; ergo privilegium d. cap. quo conceditur celebratio privata missarum januis clausis, non debet extendi ab interdictione ad cessationem, etiam ob parietatem rationis per c. 9. de privi. secus cessatio nihil novum adderet supra interdictionem: tum quia clerici, si tempore cessationis possent recitare horas can. in choro, non privarentur distributionibus quotidianis, quod falsum est; cum dans causam cessationi teneatur distributiones istas compensare c. 2. de off. ord. in 6. ergo signum est tempore cessationis nec privatim jamis clausis, div. officia celebrari posse. Hi tamen notant Sanch. Sarr. Salmant. & alii consuetudine receptum esse, ut illis festivitibus, quibus tempore interdicti divina solemniter celebrari permittuntur, etiam tempore cessationis solemniter celebrentur. Item communis admittit clericos binos, & binos privatim in Ecclesia posse recitare horas can. tempore cessationis, sicut tempore interdicti c. 11. de panit. & remiss. ubi declaratur talem orationem non venire sub interdictionem, & conf. neque sub cessationem.

74. R. 3. Attento rigore juris, solus baptisimus parvulus, & morientibus penitentia, atque viaticum ministrari potest tempore cessationis, arg. c. 11. de sponsal. At ex benignitate Ecclesie videtur indulgum, ut etiam baptisimus adultus, confirmatio, & penitentia sanis ministraretur, & matrimonium sine solemnitate nuptiali contrahatur, quod secundum consuetudinem Rom. Ecclesie omni tempore contrahi potest, c. 4. de feriis. Ordo vero, & matrimonium sine solemnitate nuptialibus non sunt ministranda, nisi æger aliquid sacramentum recipere nequiret: tunc enim extreme ungi potest, ut ex aratro fiat contritus.

75. Q. III. Quomodo, & quos obliget cessatio a divinis? R. 1. Obligat sub mortali directe clericos, & indirecte laicos: quia est præceptum ecclesiasticum in materia gravi: ejus tamen violatoribus non est certa pena a jure taxata, exceptis religiosis, & exemptis, qui violantes cessationem generalem que a matrice Ecclesia observatur, ipso facto excommunicantur. Clem. 1. h. 2. cum confirmat Trid. sess. 25. c. 12. de regg. 2. Dans causam cessationi legitime indicæta tenetur reparare omnia damna inde consequentia; ut compensare distributiones, & stipendia, que clerici ex missæ, & aliis div. officiis acquisivissent &c. item condemnari potest ad aliquam quantitatem Ecclesie applicandam, c. 2. & 8. de off. Ord. in 6. P. Remigii a S. Erasmo. Pars II.

76. Q. IV. Quomodo tollatur cessatio? R. 1. Relaxatione ejus, qui eam tulit, vel qui simili potestate præditus est. 2. Tacite tollitur, si partes intra mensem inter se non componant circa cessationem: & quidem si indicens per se, vel per procuratorem negotium hoc intra mensem non referat ad iudicium Papæ, statim tollitur cessatio, ne per eam Ecclesia gravetur, c. 8. de off. ord. in 6. Si vero pars, que causam dedit cessationi, Romæ non compareat, per hoc non liberatur, neque cessatio tollitur, ne ex contumacia sua commodum reportet, sed ipse tenetur relaxationem cessationis petere ab illo, qui eam indicxit. De materia cesurarum, præter Canonistas, consule Salmatic. tract. 10. de censuris.

TITULUS XL.

De Verborum significatione.

Agitur de hac in Sexto, Clement. & Extrav. Joan. XXII. h. 2. & amplissime in Pandectis eod. tit. & lib. 34. tit. 5. in Codice lib. 6. tit. 38.

1. Compilator noster ad imitationem Pandectarum concludit jus canon. duobus generalibus titulis, scilicet de P. S. & R. J. quorum materia per totum jus vagatur, ut vidimus in singulis anterioribus titulis.

2. Q. I. Quid, & quomplex sit verborum significatio? R. 1. Est legitima acceptio vocum pro eo, pro quo substituantur, Dic. legitima, quia verba in jure non sunt intelligenda præcise grammaticæ, seu litteraliter, & dialectice, seu philosophicæ, sed potissimum secundum leges, & regulas communiter a DD. receptas. Dicitur 2. pro eo, hoc est, pro re, quam verba, seu voces significant secundum mentem legislatoris.

3. R. 2. Verborum significatio est varia: Propria, quam verba habent ex prima institutione. 2. Usualis, seu consuetudinaria, quam verba habent non ex prima institutione, sed ex moderno usu, ut lex canon. Imperator pro rege, aut principe, hæresis, usura &c. 3. Abusiva, seu vulgaris, quam verba habent ex vulgi acceptione contra communem usum: ut servus pro famulo conductio, parens pro vitrico &c. 4. Improperia, seu metaphorica, quam verba habent ex similitudine. 5. Civilis, seu juridica, quam verba habent ex impositione juris, seu legislatoris; sicut arrogatus dicitur filius, servus, aut religiosus mortuus, aut capite minutus: cujusmodi significationes plurimæ sunt in utroque jure.

4. Q. II. Que sint regula significationis verborum? R. 1. Generales coincidunt cum illis, quas deli pro interpretatione legum, privilegiorum, & dispensationum tit. de Conf. a num. 39. verbi gratia, accipienda sunt in sensu proprio, secundum mentem legislatoris, conformiter motivo, seu causæ finali, cum effectu, ut aliquid operentur, generalia generaliter, odiosa stricte, favorabilia ample, dubia, & obscura, ut quam minime obligent; vel ut minime recedant a jure antiquiori claro &c. Ipse regule utriusque juris docebunt re generalia principia interpretandi significationes verborum.

R. 2. Regule particulares, quid quælibet vox in sensu juris significet, traduntur h. 2. & in juribus supra allegatis, & magis lectione, quam interpretatione indigent: sic novalis in jure can. significat agrum, nunc primum ad culturam redactum: pater omnes ascendentes, natus mox mortuus, quasi non sit natus cap. 1. 2. 3. h. 2. Cetera leges in ipsis capitulis, ubi etiam in 6. Clem. & Extrav. Joann. XXII. reperies declarationem regule Sancti Francisci Patriarchæ Minorum. Percurrere etiam titul. ff. de P. S. qui ad notitiam juris maxime est necessarius. De significatione clausularum, que in Constitut. pontificis poni solent, sparsum hinc inde diximus, & videri potest Barbosa tract. de clausulis.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

Agitur de his in Sexto, & Pandect. eod. tit. tit. 1. Nov. I. Regulam, a regendo dictam, definiti, quod R. 2